tiæ in Collegio concernentes, eidem, aut illi, cui ipse quomodocunq; etiam ultima voluntate sua commiserit, vel committi voluerit, integri aesi ipse præsens sub tempus dismembrationis fuisset, nisi causa legitima subsit, vel nisi ipsos Collegio vel Professioni cedat, assignentur ac realiter et in effectu per Præpositum vel alium, ad quem id spectabit sub pœna Censibus retentis simili et aliis arbitrariis solvantur. Justum namq; est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium. can. Charitatem. 12. q. 2.

STATUTUM VII.

De Anniversariis in tempore præscripto celebrandis.

Sicut nulla dies excipitur, qua pro viventibus et pro quibuslibet necessitatibus Dominus non deprecetur; ita nulla dies jux. can. penult. de Consecr. dist. 1. excipi debet, qua pro Animabus fidelium, maximè pro quibus obligati sumus orare preces Domino in Missarum solennitatibus non fundantur. Ideo statuimus et Clarissimum Præpositum Domûs pro tempore existentem præsenti Statuto obligamus, ut Anniversaria per Collegium celebrari solita statis et à Fundatoribus præscriptis ac hic ad finem Libri Statutorum connotatis temporibus, etiam in casu non solutionis Censûs pro aliquo Anniversario provenientis, de Communi Collegii massa, aut in defectu hujus, suo interim peculio (modò ex Censibus vindicandis speretur refusio) celebrari, pro celebrandis Clarissimos Collegas invitari, absentes verò fideliter, nullo habito personarum respectu, nisi sint in negotio Collegii, Universitatis, aut vera infirmitate detineantur, connotari curet, et eosdem absentes portione pro Anni-

versa

versarii intereſsentia debita, inter præsentes et Anniversario interesſentes dismembranda, non debere gaudere sciat. Qui enim onus sponte susceptum supportare recusat, emolumento ex illo provenienti privari debet. c. Licet et ibi DD. de Vot. et vot. redempt.

STATUTUM VIII.

De Custodia et Clausura Collegii.

Quia domus sua unicuiq; debet eſse tutiſsimum receptaculum. l. Plerique. ff. de In jus vocan. Ideo statuimus ut Clariſsimus Dominus Præpositus pro tempore existens Tertianum seriò moneat et negligentem suo modo adigat, quatenus continuò ne damnum aliquod Clariſsimorum Profeſsorum per ejus negligentiam et divagationem patiatur, ingredientes et egredientes de Collegio observando, invigilet, illud nocte adveniente claudat ita tamen, ut si aliquem Profeſsorem, etiam in negotio proprio diutiùs morari contingat, eundem expectare teneatur et sit adstrictus, nihilominus Clariſsimus Profeſsor sæpiùs et absq; causa rationabili diutiùs extra Collegium ne moretur, si secus fecerit per Dominum Præpositum primò moneatur, ac demum (maximè si sit aliqua de ipso suspicio) per Officium Domûs juxta Statuta inferiùs descripta puniatur. Honesti enim Viri debent eſse in omnibus suis nocte adveniente. DD. in l. 2. §. Et quia Magistratibus. ff. de Origin. Juris et colligitur ex l. Hoc edictum. §. Labeo. ff. de His, qui dejecerint vel effugerint.

STATUTUM IX.

De Rationibus per Clariſsimum Ex præpositum faciendis.

Quoniam ex Officio suo et administratione sibi commiſsa calculum et rationem per Authen. de Sanctiſs. Episcop. §. Oeconomo

cum di-